

### §. XIX.

Planè etiam si defunctus in ordinanda suâ ultima voluntate confiteatur, se Usurarium fuisse, ac multum fœnoris à proximo suo abstulisse, talis confessio, non modo si jurata sit, uti vult *Panormit.ad c.f.extr.de succ.ab intest. n. 19.* verum etiam si non jurata fuerit, servari debet, qvia spectat restitutionem male qvæsitorum & ablatorum, in exonerationem conscientiæ Testatoris; Itaq; ejus heres obligabitur ad usurarum restitutionem & damni proximo illati compensationem, per ea qvæ tradit *Covarruy. Lib. 3. var. Resol. c. 3. n. 9.* Cœterum si Testator ejusmodi homini qui capere ex testamento non potest, se debere dixerit, non obligabitur heres, vid. *I. 37. §. 6. ff. de legat. 3.*

### §. XX.

Ovanqvat Maranta *Constit. 18. n. 13.* expresse dicat. Confessionem trium latronum sive sociorum criminis sufficientem esse ad condemnandum quartum Socium, tamen contrarium asserentibus *Jul. Clar. L. 5. sent. §. f. qv. 21. n. 9. Bald. Lib. 1. Conf. 497. n. 1.* magis credendum est, uti statuit *Magnif. Carpz. p. 4. C. 33. def. 3. n. 9.* idque satis probari poterit ex c. cum monasterium. extr. de confess. qvia, statim addit rationem Pontifex, de se confessi super aliorum conscientiis interrogari non debent, & de reatu proprio confitentis periculosa confessio non est admittenda. Cui in jure civili manum quoq; porrigit *I. f. C. de accusat. ratio,* qvia nemo de proprio crimine confitentem super conscientia scrutetur aliena.

### §. XXI.

Dictum fuit supra §. 5. qvod confitendo sibi præjudicare tantum possint illi, qui facti *solidam* habeant cognitionem. Unde colligere satis in proclivi est, quid de confessione Patris vel Matris filium suum esse asserentis, sentien-  
du'